



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita, Et Gestis S. Francisci Xaverii È Societate Iesv Indiarvm Apostoli Libri Qvatvor

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1666

47. Multis videndum se exhibet in eorum salutem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10854

Xauerij tabulara malo appendere cuius tutelâ tempestatum aut frangitur impetus, aut vndæ mansuescunt.

Iam de Xauerij in ventos imperio, nauibus in portus optatos, extra statas anni periodos deducendis, vnum aut alterum subiungo. Coulanum redibat Franciscus Rodriguez cum sociis nauibus, & Goducherini promontorij æstuosa, syrtelque declinans, altum semper tenebat: Sed iis cœpit ventorum, imbrum, vndarum turbinibus vexari, vt fœderati quidem, nauigiis fulti munitioribus, per aduersa omnia tenderents ipse, tam violento impar discrimini, editioris loci se supercilio tegetet, mœstus, & afflictus quod efferato iam in procellas anno, mare illud occiduum in multos menses clauderetur, essetque sibi illic hiemandum. Dies in anchoris agebat duos, sortem lugens acerbam, & suo commercio damnosam, cum succurrit dolenti Xauerius latè orâ illa prodigiis celebratissimus, & præsentissimum quibuscumque angustiis eorum qui ad se fidenter confugerent remedium. Quare illi se ex intimo committens, vouet eius Cotate ornando templo cortinas aliquot, si eius beneficio Coulanum ante portas oclusos attingeret: vouerat, votique confestim fit reus; ponit illico mare, versus à puppi adspirat ventus, soluit Rodriguez, semperque oram legens (quod & tutissimis anni periodis intutum, & periculosum) Coulanum applicat. Sociorum naues quæ contra vim maris, cursui suo institerant, oëtiduo post apparent, sed occupatis quâ tempestatas trudebat variis portubus, nulla earum Coulanum appulit. Simile aliud non absimili in causa promeritus est beneficium Gonzalus Mendez, natione Indus, Brachmanes genere, nisi quod habet quiddam præterea valdè singulare: transibat is quoque Cocinum versus, ex ora vna in alteram, sed obitante iam hiemis importunitate Comorinum Cornu vi nulla transgredi valuit. Naues septem quibuscum inuito fœdere soluerat, quod essent robustæ, magno vltierius conatu prætergressæ, inde sexto vix milliari, in sinum coniectæ sunt Cotati oppositum. Persuasus Mendez Cocinensem in portum euasisse saluas, eò dolentius infortunium ferebat, quod Tuturini solus esset hiemem & lucra mercium perditurus. Ardenter itaque Xauerio supplex, spondet se Cotate illius Ecclesiam donario aliquo insigni aucturum. Paranti nihilominus in diem proximum è nauis merces educere, apothecis melius seruandas, spectandum in somnis se præbet Xauerius; hominem consolatur, vetat merces mouere; sedatum iri post triduum ventos, & maria, Cocinum prosperè peruenturum. Quod haud secus, ac erat pollicitus dies quartus effectum exhibuit.

Aspectabili hac sui præsentia non enumerabo quàm multis adstiterit Beatus Indorum Apostolus, eorum vel animis, vel corporibus medicinam facturus, ne similibus historiam onerem, vel debitis mutilem, pauca solum eius exempla hic referam. Indus arte Catambis, vt vocant, hoc est magister literarum, Ioannes Fernandus nomine, impuris amoribus irretitus, noctu ab iis cum rediret, in ædem haud procul Manapare sacram, abdebat sese, vbi celebris prostabat B. Xauerij imago, lucem illic operiens

Pp 2 ne

47

Multis videntur se exhibet in eorum salutem.

ne suo grandi malo sceleris sui inditium faceret: dormienti adest Xaverius pacatè admonet, detestabilem ei obiicit vitæ statum, rogat etiam ab eo respiscat, infano amori remittat nuntium, æternam alioqui ei perniciem allaturo. Experrectus Fernandius, pro inani somnio morosa negligit; sed nocte insequenti ab eodem scelere redeunti, eodemque in templo quiescenti, non iam placido vultu, sed iratum se sistit Xaverius, obiurgat, minatur; futurum vt ei caro stet nisi se ab illa infami consuetudine abducat. Sed neque tunc minis paruit sceleratus, tametsi animo pungeretur, nec posset has merum somnium putare; adeo impotens libido præsentis voluptate, fidem pœnarum sequentium tamdiu adimit donec opprimant infelicem. Ergo hic quod sibi intriuerat hoc edit: humor illi ex capite defluus vniuersum corpus, ita occupauit, nervos præcipue manuum, ac pedum, tanto ac tam informi tormento contraxit, vt linqueretur animo sapius, & commouere se nisi alienis manibus non valeret. Accedebat ad mali cumulum medicorum sententia, nihil ausa deinceps melius polliceri, quod experti viderent, nec iacentis naturam, neque artes suas, tenacitati humoris illius dissoluendæ sat esse. Occursant interim turpitudinum suarum condigna præmia legenti, visorum figuræ, & Sancti minæ quas spreuerat, quibus tunc effectui datis sera esse omnia videbat præter lacrimas, & pœnitentiam. Semestre duxerat inter cruciatus, cum spe corporis abiecta, prospicere saltem animo decernit: redit cum Deo in gratiam, vitæ omnis labes confessione serua expungit; pœnam illarum, morbum quo conflictabatur, mortemque adeo ex eo expectatam, quam erat commeritus, libenter admittit; denique omnia si conualuerit in futurum spondet, & quoduis exitium potius quàm eiurata flagitia aditurum. Post quæ tertium illi B. Xaverius, vt alias quiescenti adest; docet morbi fontem ipsius crimina fuisse, quæ blandis in cassum curata remediis sananda fuerant doloribus corporis. Iam ab iis ad Deum, & ad se reuersus, speraret bene, quibus dictis, fausta illi manibus adprecatus euauit, excitatusque Fernandez duplicibus gratiis profecutus est Sanctum animi sui, & corporis medicum, eaque præ omnibus vt profiteretur in posterum se castè victurum. Minus corpori, plus animæ contulit Xaverij species Malabarensi obiecta femina diuturno ex morbo languenti: hæc deuastato Nanginaris, patriæ suæ agro, omnibus ad curationem sublidis defecta, valetudinem à S. Xaverio continuis precibus flagitabat. His instantem votis aspectabilis adit Sanctus, hortatur vehementer quod visum Deo foret, idem hoc etiam ipsa vellet; subdit Deo placere, vt viuus abeat, ipsique tam pridem iacenti expedire, futurum id non ita multo post; daturum se operam vt præsto illi sit Sacerdos è Societate, qui necessitati illam præsidii ad Christianæ decedendum iuuet. Quo pariter tempore Iacobo Gonzalo inspirat excursions aliquas in oram Trauancoris vt Christianos à barbarie, & strage superstites recreet; profectus Iacobus, & in Nanginaris interiora quoque se penetrans, ægrotam inuenit, quæ probè conscia, cuius instinctu, & quamobrem adest, tenere flens,

manusque

manusque atrollens, promissi gratias B. Xauerio egit, visum Patri Iacobo quod retuli narrauit; indicatoque mortis die, sacris rite mysteriis procurata feliciter obiit. Cœterum corporis sanitatem quam huic magno eius bono negauit S. Xauerius, alteri concessit, Indæ similiter, & ex longa ægrotatione animam agenti, vsu iam linguæ, ac sensuum amisso. Haud tamen segnibus parentes quos iactura illius vehementer angebat, assiduis precibus, ac votis, pergebant illam B. Patri commendare. Quibus tandem ab eo quod tantopere vrserant abstulerunt, sed modo prorsus mirabili; spectandum enim se variis locis, tum pia femina, tum eo in pago, vni ex Ecclesiæ ministris obtulit; turba, qualis inter nos dum viueret stipatus puerili, Christianam doctrinam discendum, & hinc minem præferens graui ali quo sollicitoque negotio impeditissimum; properare se ait ad restituendam ei feminae sanitatem. Quo temporis puncto velut expergisceret ægrota, voce, sensu, viribusque receptis momento sanata est.

Quid quod etiam Indo cuidam, vltro ac minime rogatus, oculos reddidit: Huius nomen Chambaratecura; occupatio quæstura Sanctæ Crucis quod est in oppido Colluci templum. Componebat quandoque festorum ignium diuersa missilia ad diem S. Crucis festa lætitia peragendum, cum in aceruum tormentarij pulueris scintilla incidens flammam ex eo ingentem corripuit, qua & miserè deformatus, & excæcatus omnino est, egitque multos annos cæcus: conspiciendum se tamen inter somnos aliquando huic sistens B. Apostolus, quærit ecquid ipsi gratum accideret oculorum vsu recipere: is ne vitam quidem gratiorem respondit, sed enim qui posset id fieri, cum præter oculorum cauum, nihil sibi de oculis restaret: de hoc inquit Sanctus, ne labora, iubetque sexta inde leuca perducere se Cotatem curet, ad ipsius adem atque imaginem illuc preces fundat, cœterum nihil prorsus ambigens oculos se impetraturum. Prima vix luce promissi audis in viam se dat, familiari gressum eius regente, omni que illo itinere Sanctum rogans, & omnia pollicens in beneficij gratiam, si cæcus eò adueniens, reuertetur oculatus. Ac fuit quidem haud ad eò subita impetratio spei datæ, nec primo stetit imaginis aditu, ad probationem, & meritum fidei nonum in diem differatur ægrotus, supplex, fiducia, & constantia plenus, fixusque non prius ab Sancti pedibus recedere, quàm esset promissi compos factus. Idque nono demum ex quo venerat die prolixè obtinuit, renatis momento intra suos orbes viuidis oculis, & quos amiserat nitore vincentibus. Cecinit ipsemet (erat enim poëta) versu patrio carmen, quo miraculum accepti muneris tota India vulgavit.

Cæcitate hac haud forte leuior alia, Ioannem Fonsecam Lusitanum ministrum regium detinebat: abductus à barbaris, & Cugneli conclusus alta rupe, vitam trahebat in tenebris, omni oculorum ablatu vsu nisi ad lugendam seruitutem. At is Xauerium cum additissimè coleret, instabat apud illum perpetuè, vt se ab hac vita tam calamitosa aut seruitute eriperet; futurum sibi tolerabilius vna morte absolui, quàm

pp 3 dito

47

Oculos effos-
sos excor, red-
dit.

49

Captiuum li-
berat.